

magis speciali pro uno quam pro alio quantum ad effectus intrinsecos donorum, sed indiget diversa providentia quoad collationem gratiæ pro diversis occasionibus extrinsecis, et illa est providentia prædestinativa. Hoc, inquam, dici non potest, quia secundum istam solutionem non indiget Deus aliquid speciale dare, et præparare uni præ alio ex parte sua et donorum quæ ab ipso subministrantur, sed tantum occasiones eligere, et futurum consensum ex parte nostra quem prævidet futurum: ergo quod iste prædestinetur seu salvetur, non est ex speciali electione secundum gratiam, sed ex speciali electione occasionum, quibus eadem gratia in uno habebit consensum, non in alio. Non dicit autem Apostolus quod secundum electionem occasionum reliquæ salvæ factæ sunt, sed secundum electionem gratiæ. Præterea posita eadem gratia intrinseca in uno atque in alio, eligere extrinsecam gratiam magis pro uno, quam pro alio, scilicet quod uni in hac occasione detur quia consentiet, alteri non, vel est electio alicujus rei supernaturalis, et ad supernaturalem ordinem spectans, vel in supernaturalibus donis æquales sunt, et non eligitur unus præ alio, sed solum in aliquo extrinseco quod vere naturale est, scilicet in diversis occasionibus, in quarum una iste consentiet non alter, et in altera ille etiam consentiet si daretur sibi gratia. Si est aliquid supernaturale quod in uno eligit Deus præ alio, ergo jam in supernaturalibus donis æquales non sunt, sed unus potior alio: supernaturale autem donum aliqua gratia intrinseca est, scilicet in sua entitate supernaturalis, et ex Deo descendens; et sic non servatur casus positus quod sint duo æquales in gratia et donis supernaturalibus sibi collatis. Quare illa providentia com-

munis reprobo et prædestinato non fit specialis pro prædestinato, nec specialia beneficia præparat in ordine supernaturali, per hoc solum quod præsciat diversam occasionem in uno, quam in alio, et diversum usum sui liberi arbitrii cum eisdem donis supernaturalibus: sic enim illa specialis providentia in isto præ alio non est aliud quam præparatio alicujus rei mere naturalis et præsuppositæ per scientiam mediam, non præparatæ per electionem gratiæ prædestinantis, si tota gratia specialis reducitur ad illud extrinsecum, quod Deus eadem dona supernaturalia det pro tali occasione, et cum tali usu nostri liberi arbitrii præsupposito non præparato a Deo, nec gratiæ supernaturalis in uno præ alio.

Et hoc urgetur amplius, quia quando prævidit quod Paulus, v. g. in tali occasione præventus tali gratia consentiet, perseverabit et salvabitur. Petrus autem in eadem occasione eadem gratia præventus non consentiet nec salvabitur, etiam vidit quod sine nova gratia ex parte Dei si voluisset Petrus consentiret et salvaretur, et quod erat possibilis illa mutatio voluntatis in Petro sine nova gratia: ergo vidit intra illum statum conditionatum esse possibilem salvationem Petri, et discretionem, a reprobatione per solam differentiam voluntatis suæ, et non ex nova gratia Dei: ergo intra statum conditionatum manendo, multorum salvationem, et aliorum reprobationem Deus videt non ex gratia speciali sua nasci, sed ex aliquo mere naturali ex parte liberi nostri arbitrii se tenente, nempe ex adhibitione nostræ libertatis et usus nostri, vel non adhibitione, et ex tali occasione extrinseca, vel ex quocumque alio quod in se supernaturale non est, nec ex dono speciali Dei descendens. Si ergo salvatio vel condem-

natio intra statum conditionatum videtur a Deo sine nova gratia specialis supernaturali et a sedescedente pro uno magis quam pro alio: prædestinatio ergo et reprobatio deducta ad statum absolutum non indigebit nova et speciali gratia absoluta supernaturali et a Deo descendente, sed sola et mera purificatione illius conditionis, qua purificata solvitur status conditionatus, et transit in absolutum. Et sic nec in statu conditionato, nec absoluto, prædestinatio et salvatio unius pendet ab aliqua speciali præparatione Dei, et beneficiorum ejus in genere supernaturali præ alio, quia in donis supernaturalibus æquales sunt.

XIII. Et hinc nascitur secunda difficultas quæ videtur movisse p. Lessium. Nam si consistit specialis providentia prædestinationis, non in hoc quod Deus præbeat specialia dona uni, quibus convertatur, quæ non alii, sed quod extrinsecam gratiam majorem faciat uni, quam non alteri, quantum ad hoc quod uni solum vult dare gratiam in ea occasione qua scit convertendum, et alii solum in ea occasione in qua scit esse frustrandam gratiam: ergo de industria, id est, ex electione videtur insidiari Deus saluti aliquorum, dum in hoc totam electionem et industriam suam ponit, ut uni det gratiam in occasionibus, quibus prævidet non frustrandam, alii solum in occasionibus quibus frustrandam videt, in aliis vero gratiam subtrahit. Et sic per positionem scientiæ mediæ non cessant istæ querelæ, quæ contra ponentes absoluta decreta prævenientia nostram voluntatem et uni dantem, quod convertatur, alii non, unum eligentem ad gloriam ante prævisa merita, alium non, inducuntur: nam etiam posita scientia media, cum Deus possit eligere pro reprobo occasiones in quibus bene uteretur

gratia, et dum est in illa ipsum auferre ex hac vita, vel in aliis occasionibus dare talem gratiam qua converteretur, hoc noluit, certe eodem modo querelæ istæ poterunt dari contra ponentes scientiam mediam, et contra negantes. Unde ipse Lessius posuit quod nec etiam Deus præparat specialia beneficia pro prædestinato ex præsupposita scientia media, sed quod tota gratia prædestinati differt a reprobo ex eventu et cooperatione nostra. Quod est penitus evacuare electionem secundum gratiam, et ex ipsius prædestinantis electione et directione, sed solum relinquere illam eventui et cooperationi prædestinati. Nec sequitur illud conveniens Lessii de insidiatione salutis, quia Deus, quibus dat gratiam, misericorditer largitur, quibus autem denegat, justo iudicio denegat: habet enim tamquam figulus potestatem facere ex eadem massa unum vas in honorem, aliud in contumeliam, ob suam summam potestatem, et occultissima iudicia, sine ulla insidiatione pro reprobis, quia cum æquissima justitia, et summa misericordia pro electis. De quo plenius dicemus infra articulo ultimo.

XIV. Concludamus ergo quod illæ particulæ definitionis, præparatio beneficiorum Dei, præscientia et certitudo mediorum, sic accipiendæ sunt, quod præparatio est circa auxilia ex se, et prout a Deo descendunt, seu ex ejus electione congrua et efficacia, quia ut dicit Augustinus libro de corruptione et gratia, c. xii: « Si in tanta infirmitate vitæ hujus, ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei sine que perseverare non possent manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent, inter tot et tantas tentationes, infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, et ideo perseverare non possent, quia deficienter

tes infirmitate, nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut possent. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia, indeclinabiliter et inseparabiliter ageretur; et ideo quamvis infirma non deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur. » Non ergo præparat Deus solum gratiam sufficientem et relinquit, expectans quid facturi sumus, aut solum præparat id quod præscit nos facturos per usum nostræ libertatis, sed id quod ipse gratia sua indeclinabiliter facit ut operemur. Nec enim quando Deus nobis promittit fidem, aut bona opera (idem est si præparat) promittit id quod præscivit nos facturos, sed quod ipse in nobis facturus est, ut ibidem dicit S. Augustinus c. vii, et libro de prædestinatione sanctorum, c. x: « Promisit, inquit, quod ipse facturus est, non quod homines, quia etsi faciunt homines bona quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit ut illi faciant quæ præcipit, non illi faciunt ut ipse faciat quod promisit. » Similiter illa particula præscientia, non intelligitur ab Augustino de præscientia qua providet Deus quid nos facturi sumus, sed quod ipse, et ita debet esse præscientia innixa decreto Dei, non prædestinatio innixa præscientiæ, ut Prosper consuluit Augustinum in epistola ad ipsum, circa finem. Augustinus autem docet, quod prædestinatione ea præscivit quæ fuerat ipse facturus, ut dicit libro de prædestinatione sanctorum, c. x, et c. xvii. Ergo præscientia prædestinationis in definitione posita non est scientia media prævidens quid nos facturi sumus ante decretum Dei, sed scientia factiva ejus quod præscit. Denique, certitudo illorum mediorum quibus prædestinati liberantur, non est certitudo solius præscientiæ, sed etiam causalitatis et potestatis Dei, tum

quia, ut nuper vidimus ex Augustini prædestinatione, præscit Deus id quod est facturus ipse, et consequenter certitudo illa est certitudo causalitatis et factionis; tum quia libro citato de correptione et gratia, c. viii, reddens rationem cur oratio Christi pro fide Petri ut non deficeret; non poterat esse inanis, sed infallibilis, dicit: « Perituram quidem fidem Petri, si voluntas ejus deficeret; et permansuram, si maneret. Sed quia præparatur voluntas a Domino, ideo pro illo non posset esse inanis oratio. » Certitudo ergo et infallibilitas illa ex præparatione Dei est, seu ex causalitate gratiæ non ex sola præscientia. De quo vide quæ supra dis. v diximus, agendo de efficacia decretorum, et iterum infra agendo de prædefinitionibus.

AN PRÆDESTINATIO SIT DISTINCTUM
ATTRIBUTUM A PROVIDENTIA.

XV. Aliis verbis solet proponi hoc dubium, an providentia communis, et prædestinatio sint species diversæ providentiæ, et ita sint partes subjectivæ providentiæ, an vero solum partes integrales respicientes diversas materias seu objecta materialia ejusdem virtutis?

Res non est magni momenti, sed in ea dividuntur theologi.

Quidam dicunt esse diversas species, quia putant diversas rationes formales inveniri, quia istæ sumuntur ex diverso fine gubernationis, licet sub eodem principe, sicut aliter gubernantur milites, aliter domestici, aliter filii. Unde et prudentia dividitur tamquam in species, in regalem, militarem, oeconomicam, etc. viderit S. Thomas 2-2, q. xlvi. Et ita non repugnat etiam diversas species providentiarum in Deum reducere nostro modo intelligendi. Et

prædestinati gubernantur vi filii, aliæ res ut mancipia. Juvantur etiam aliquibus exemplis. Nam in Deo sunt plures species relationum realium, sicut paternitas, filiatio, spiratio: sunt plures species virtutum, ut misericordia, justitia, mansuetudo, etc. sunt plures, ideo et plura decreta. Cur ergo non plures gubernationes, et species providentiæ?

E contra alii nituntur unam tantum vim providentiæ ponere propter infinitam vim providendi comprehensivam omnium sub una ratione. Juvantur etiam aliquibus exemplis. Nam in Deo non est duplex misericordia, una pro supernaturalibus effectibus, altera pro naturalibus; non est duplex omnipotentia, una pro naturalibus, alia pro supernaturalibus; non est duplex ars, alia pro naturis rerum, alia pro supernaturalibus: ergo nec duplex providentia.

Ego in hac parte sic censerem. Providentia dupliciter sumi potest. Uno modo pro ipsa vi directiva, et quæ se habet ut ars gubernatoria (sic eam vocat S. Thomas in 1, dist. xl, q. 1, art. ii.) Alio modo pro ipsis decretis ut applicatis ad creaturas provisivas. Si providentia sumatur primo modo, existimo esse unam in specie atoma, non solum identice quatenus omnia sunt unum in Deo, sed formaliter in ratione providentiæ summæ et universalissimæ, cuius partes quasi integrales sunt prædestinatio, providentia communis, etc. quæ diversas materias providendas respiciunt. Ducor ad hoc, quia D. Thomas ponit 1-2, q. xcxi, art. 1 ad 1 legem æternam esse unam, quia sub una summa ratione omnium actus dirigit: ergo eadem ratione providentia summa erit una, quia est vis directiva per modum dirigentis, sicut lex per modum regulæ. Secundo, quia regimen et gu-

bernatio Dei est maxime monarchica, et ad unum redacta: ergo sub uno summo ordine complectitur omnia sibi subjecta, et ad unum finem gubernationis reducit: sed gubernationes distinguuntur secundum diversum modum regiminis et ordinationem ad diversos fines, ut docet S. Thomas 1 p. q. cviii, art. 1, ergo oportet in Deo ponere unum modum regiminis in ratione unius summi principatus: ergo et unam summam providentiam in specie atoma.

Si autem posteriori modo consideretur providentia ex parte decretorum tangentium creaturas, sic non est inconveniens quod providentia communis et prædestinatio distinguantur, sicut distinguuntur ipsa decreta ex parte connotationis objectorum, decreta autem ad providentiam pertinent. Sed tamen simpliciter providentia supponit pro vi directiva dirigente; et ideo simpliciter dicendum est quod est una in specie et numero in Deo.

Nec obstant exempla opposita: nam relationes plurificantur in Deo ob diversam oppositionem, propter quam realiter distinguuntur, quæ oppositio non invenitur inter providentiam et prædestinationem. Ideo multiplicantur ob connotationes et respectus rationis, sicut decreta in providentia. Virtutes morales distinguuntur ratione tamquam diversæ species, quia non omnes habent eandem formalem rationem universalissimam regiminis, sicut una summa providentia.

ARTICULUS II.

An prædestinatio et providentia sint actus intellectus, vel voluntatis?

I. Concurrere ad providentiam actum intellectus et voluntatis (idem est de prædestinatione, quæ species